



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1611. usque ad annum 1617

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1777**

**VD18 90118898**

§. 77. Variæ decisiones auctoritate Pauli V. Pontificis editæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67313)

incitantes, eo inclinabant, ut die septima Junii Curiam inferiorem exauctoret, eosque, qui liberius obstreperant, in carceres deduci juberet. Hic denique fuit finis hujus conventus, in quo nec unicum quidem decretum pro utilitate publica fuit sancitum.

## §. LXXVII.

*Variae decisiones auctoritate Pauli V.  
Pontificis editæ.*

Ineunte hoc anno die decima quarta Januarii summus Pontifex edito diploma-  
mate Congregationem Clericorum Sæcularium sub invocatione Beatæ Matris Dei erexit, eique scholarum piarum Regimen ubique ac perpetuo jure demandavit, eo fine, ut ab eis pauperes, etiam Nobilium filii, quorum familiæ ad inopiam redactæ sunt, gratis in literis & virtutum exercitiis instituantur. Præterea auctoritate ejusdem summi Pontificis Sacra Rituum Congregatio die decima nona ejusdem Mensis declarabat, quod solus Episcopus possit habere fenestras in Ecclesia, per quas in eam conspectus haberi valeat. Sequentis autem Mensis die decima quinta in Congregatione Episcoporum & Regularium fuit sancitum, quod Vicarius Apostolicus non possit functiones

Sæc. XVII.  
A. C. 1614.

Bullar.  
magn. tom.  
3. Const. 81.

S. Rituum  
& Concil.  
Congreg.

Congreg.  
Episcop. in  
Casalen.

Sæc. XVII. A. C. 1614. Episcopales obire, simulque die decima quinta Martii declaratum, quod celebratio chorearum in quadragesima, ommissio etiam Ecclesiis solvendi debita, festorum dierum violatio, & fornicatio Sacerdotis cum soluta, nisi interveniat peccatum contra naturam, non debeant casibus reservatis accenseri. Eadem quoque die statutum, quod festum Annuntiationis B. V. non valeat celebrari in Hebdomada Majore, dum Ecclesia celebrat Passionem Domini: die autem duodecima Aprilis declaratum, quod si incæpta consecratione Episcopus morbo correptus deficiat, & præsertim antequam ungantur Cruces, resumenda sit a capite consecratio. Statutum quoque die duodecima Maij, quod absolutio ab Excommunicatione *ad cautelam* non valeat concedi absque speciali commissione, anniversaria vero & Missæ de Defunctis, quæ certo die dici debent, eo impedito transferri valeant in sequentem, prout die decima nona ejusdem Mensis Sacra rituum Congregatio decidit: Pontifex vero die decima sexta Junij omnes, ad quos spectat, hortatus est, ut deinceps novo rituali Romano in Sacris functionibus utantur, & in re tanti momenti, quæ Catholica Ecclesia, & ab ea probatus usus antiquitatis statuit, inviolate observent.

Sacra

Sacra autem Concilii Congregatio die Sæc. XVII.  
 decima Septembris declarabat, quod A. C. 1614.  
 Abbates benedicti, licet benedicere non  
 possint ea, in quibus sacra unctio re-  
 quiritur, si tamen speciali privilegio  
 muniti fuerint, munus præfatæ bene-  
 dictionis quoad ea, in quibus requiri-  
 tur unctio, impendere possint: insinua-  
 bat etiam die vigesima sexta ejusdem  
 Mensis, quod obligatio amovibilis au-  
 diendi confessiones non sit incompati-  
 bilis cum Parochiali, sicut &, quod  
 non nisi Episcopus trino ductu sit thuri-  
 ficandus, eique, & in ejus absentia Vi-  
 cario Generali, debeat reverentia in  
 Choro, dum Divina celebrantur, ab  
 omnibus Canonicis etiam quavis ratio-  
 ne exemptis. Ita die undecima No-  
 vembris a S. Rituum Congregatione de-  
 cisum habetur.

§. LXXVIII.

*Marci Welseri Patricii Augustani  
 obitus.*

Obiit hoc anno insigne Augustanæ ur-  
 bis decus atque ornamentum Mar- *Adam. vit.*  
 cus Welserus seu Velserus, qui ibidem *Juriskon.*  
 die vigesima Junij anno Domini mille- *Germ. Christ.*  
 simo quingentesimo quinquagesimo octa- *Arnold. in*  
 vo ex nobilissima æque ac pervetusta, *vita Wels.*  
 cujus origo a Bellisario Justiniani Cæsa-  
 ris